

Heu mala tot nostræ gentis! quam concutit ater
 Turbo, ut quæ magno cymbula in Oceano
 Jactatur, nunc alte unda suspensa tument, 2
 Nunc undas inter clausa; nec interea
 Æoliæ cessant circum stridere procellæ,
 Infestusque vagis puppibus Oarion.
 Et tamen est mœstis quædam plorare voluptas;
 Sæpe gravis blando carmine cura solet
 Mulceri, ut leni veluti perfusa sopore
 Pectora ne tristi spargat amaritie.
 Sæpe etiam toto penitus de corde fugatus
 Omnis in aërios mœror abit Zephyros.
 Testis Jëssides, extorrem quem nemora ipsa
 Flesse reor, quum sese abderet in tenebras
 Horrentum nigras antrorum, si qua latebra
 Mortis ab indignæ faucibus eriperet;
 Quæ se inopi, & profugo torvam super ostendebat
 Usque virum dira terrificans facie.
 Ille tamen blando fallebat carmine curam;
 Et sæpe Engaddi vertice in aërio,
 Odollæ aut celsa residens in rupe, sub auras
 Jactabat mœsto e pectore suavidicum
 Carmen, cui valles, & flumina responsabant,
 Reddebant missos & iuga pulsa sonos.
 Interea longe mœror secesserat; alis
 Ludebant circum gaudia purpureis.
 Salve ingens Jëssida! idem rex, carminis idem
 Princeps, & sacræ grande decus citharæ
 Tu dux: ire iuvat tua per vestigia; mœror
 Hinc procul immanes cedat in Odrysios;
 Aut quæcumque usquam gens est mage læta, **secunda**
 Ebria cui fortis corda favore tument,
 Oblitæ cœli, ac superum, fædeque ruenti
 In scelus, errorumque implicitæ laqueis.

Hinc